

RAT. IV. *Quæ res tandem laudi, & emolumento nobis futura est, eam studiosè sectari, & conseruare debemus, & contra.*

*Atqui humilitas, & diligens officii demandati cura, tandem nobis laudi, & emolumento maximo futura est. Ergo.*

Qui enim in vocatione sua humilis futurus est, & Christo diligenter inseruiet, tandem ab ipso extolletur, & ad mensam cælestem iuxta eum in æterna vita collocabitur, confirmante hoc ipsum discipulis suis, & ad modestiã hoc ipso argumẽto eos hortante Christo, hoc loco, v. 28. 29. 30. *Vos porro ii estis, qui permansistis mecũ in tentationib. meis. Ego igitur paciscor vobis, prout pactus est mihi pater meus, regnũ. Ut edatis, & bibatis, in mensa mea, &c.*

Ad eandem igitur gloriam & nos per viam humilitatis anhelemus. *Fidus enim est hic sermo. Si toleramus cum eo, etiam cum eo regnabimus.* 2. Tim. 2. 11. *Ne si inflemur, & arrogantes fiamus, ab ipso reiiciamur. Superbis enim Deus resistit, (Quicquid enim sublime est, coram eo abominabile est. Luc. 16.) humilib. autem dat gratiam.* 1. Petr. 5.

Sed de fugienda superbia, quæ primũ primorum nostrorũ parentũ peccatum fuit, & omnis Christi exinanitionis, omniumq; tum ipsius, tum nostrarum passionum prima causa, quo nomine etiam detestabilis nobis merito esse debet, plura inuenies in Postilla, ad *Dominicam XI. & XVII. post Trinitatis.*

## CONCIO VI.

*DE ACTIS IN HORTO, EX TEXTU  
Matth. 26. à v. 30. ad 47. ex Marc. 14. à v. 26. ad 43. ex  
Luc. 22. à v. 31. ad 47. &c.*

**H**is verbis acta in horto describuntur, quæ ad tria capita reuocabimus: Primum, est Concio Christi ad discipulos. Secundum concionis effectum in discipulis recitat. Tertium, est de inexplicabili anxietate Christi, & lucta eius cruenta.

Concionis membra sunt quatuor. 1. Prædicit Christus discipulis, quàm turpiter eum deserturi sint, & ab eo in necessitate, & periculo mortis suæ, non solum procul staturi, sed & planè fugituri, quam prædictionem testimonio diuino, è Propheta Zacha-

Zacha-